

ratus, cum intentione alias redeundi et confessionem perficiendi, et putat id sufficere ut a culpa gravi eximatur. 3° Accedit quidem pluries tempore debito, sed prava consuetudine detinetur, nec sufficienter emendationis signa præbens, qua de causa ad aliud tempus experimenti gratia remittitur. 4° Alias tandem, etsi sat dispositus tempore opportuno accesserit, rogat Confessarium ut ad octo vel quindecim dies remittatur, quod ipsi ultro conceditur.

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quomodo peccaverit LONGINUS in his casibus contra Ecclesiæ præceptum?*

2° *An in ultimo casu Confessarius illi absolutionem et Communionem differe potuerit?*

SOLUTIO :

456. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1° LONGINUS peccavit graviter *in primo casu*, quia tardius ad confitendum accessit. Etenim non satis est confessionem incipere ultima die temporis Paschalis, sed ipsa Communio hac die facienda est, si præcepto Ecclesiæ non adhuc satisfactum fuerit. Dilatio autem, etiam unius diei, gravis est, quia lex sub gravi obligans infringitur. 2° Peccavit quoque graviter *in secundo casu*, si emendationi studere insigniter neglexit. Etenim qui tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria ad illum consequendum, ita ut graviter peccet qui hæc adhibere omittit. Atqui dispositio ad absolutionem est res omnino requisita, ut quis ad Eucharistiam accedere possit: ergo hæc illi adhibenda erat. Ergo peccavit contra præceptum Eucharistiam sumendi tempore præscripto. 3° Peccavit etiam *in tertio casu*, propter rationem jam modo allatam, scilicet quia debebat se ad Sacramentum Pœnitentiæ disponere, tollendo impedimenta proxime impediens legis executionem: atqui prava cordis dispositio est impedimentum proxime impediens absolutionem et Eucharistiæ susceptionem. Ergo, etc. *Tamb. de tertio Præcepto Ecclesiæ, c. 3.* — 4° Non peccavit autem *in quarto casu*, quia dispositionibus requisitis ad absolutionem et Communionem non caruit, et dilationem postulando se iudicio et beneplacito Confessarii commisit.

457. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Affirm.* Confessarius enim est iudex non solum dispositionis ad Communionem requisitæ, sed opportunitatis majoris ad SS. Sacramentum suscipiendum. Potest igitur aliquam dilationem permittere vel imponere, si iudicet majus bonum pœnitentis id requirere, saltem si hic non sit invitus.

## CASUS VI.

### DE JEJUNIO 1°.

1° DIDYMUS de more jentaverat, septem vel octo uncias panis vel casei manducando, cum admonetur diem esse jejunii; nihilominus prandium solitum media die sumit, ratus non esse sibi omittendum quod omnibus est licitum. Imo cœna integra stomachum vespere reficit, ex eo quod jejunium mane violatum in integrum restitui non possit.

2° GABINUS, cum bona fide duplicem refectionem die jejunii sumpsisset, advertens ad obligationem jejunandi, non tamen a tertia refectione abstinuit, quia jejunium jam violatum non amplius servari poterat.

HINC :

QUÆR. 1° *In quo consistat jejunii essentia?*

2° *An DIDYMUS jejunium violaverit, cœnam integram sumendo? Aut quid facere debuisset?*

3° *An duplex peccatum mortale commiserit?*

4° *An GABINUS in secundo casu graviter peccaverit, tertiam refectionem sumendo?*

SOLUTIO :

458. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Essentia jejunii in hoc præcipue sita est, ut unica relectio proprie dicta fiat. Usus vero invaluit, ut præterea relectiuncula sub vespere sumi possit.

459. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Peccavit graviter *per se* DIDYMUS duplicem refectionem sumendo, præter jentaculum. Ipsi enim remanebat adhuc possibile jejunium, scilicet prandium ad vespertinum tempus remittendo, vel a cœnula abstinendo. Si refectionem transmittere noluerit aut non potuerit, et omnino abstinencia a cibo vespere nimis molesta esset, posset DIDYMO permitti ut aliquid cibi v. g. unam vel alteram unciam degustaret. Dixi *per se*, quia, si supradictis industriis minime uti potuit, tunc a jejunii lege fuit excusatus.

460. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs. Neg.* Ratio est, quia unicum jejunii præceptum violavit; proinde unicum posuit actum contra obedientiam erga Ecclesiam. Igitur ille qui tres refectiones sumit die jejunii, non plura peccata gravia committit quam ille qui duplicem tantum refectionem facit, siquidem unica est obligatio jejunii prætermissa.

461. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs. Controvertitur.* Duplex est sententia *probabilis*, juxta *S. Lig. n. 1030*.

I<sup>a</sup> SENTENTIA *negat* GABINUM peccasse mortaliter, quia reapse ita violatum est jejunium ut ejus essentia destructa fuerit, licet ex inadvertentia id evenerit. *Ita Bonacina, — Elbel, — Sporer, etc.*

II<sup>a</sup> SENTENTIA *affirmat*. Ratio est, quia jejunium *materialiter* tantum fregit, non vero *formaliter*. Quare, cum primum advertit ad legem jejunii, tenebatur illam servare, ne formaliter læderet. *Ita Azor, — Sa, — Navarrus, etc.* Si vero GABINUS, detecto errore, consilium postulasset, sane adhortandus fuisset ut ab ulteriori refectione abstineret. *Recole dicta de leg. n. 87.*

## CASUS VII.

### DE JEJUNIO 2°.

PUBLIUS jejunavit quadragesimali tempore, modo prandium sumendo hora decima matutina, cœnulam vero hora septima vespertina; modo ordinem inversum sequendo. In relectiuncula autem 8 vel 10, aut aliquando 12 uncias panis vel lactucarum, etc., deglutiit.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An, vel qualis anticipatio aut inversio refectionis sit gravis?*  
 2<sup>o</sup> *Qualis sit quantitas permittenda in refectiuncula?*  
 3<sup>o</sup> *Qualis sit qualitas admittenda?*

SOLUTIO :

462. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Stante consuetudine, vel accedente rationabili causa fieri potest cœnula versus meridiem, imo etiam versus horam decimam, et refectio vespere. Si hæc praxis neque consuetudine, neque justa causa justificari queat, non vacabit culpa, non gravi tamen, quia hæc transpositio non videtur essentiam jejunii afficere. An vero peccet graviter ille qui refectionem sumit hora decima matutina, vel decima cum dimidio? *Affirmat S. Lig.* cum aliis multis; *negant alii* cum *Elbel* et *Layman*, non *improbabiliter*. In praxi, priori sententiæ standum videtur, nisi legitima consuetudo aliud permittat.

463. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. S. Lig.*, cum aliis, octo uncias cibi circiter permittit omnibus, et paulo amplius iis quibus hoc satis non esset, ut jejunium absque nimio incommodo sustinere possint. Dicit *S. Lig.* decem uncias permitti posse *Germanis*, qui, ob regionis rigorem, majori quantitate cibi indigere videntur; et addit hoc etiam concedendum omnibus qui *stomachum* habent *germanum*.

464. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Permittuntur tantum panis, fructus, olera quæcumque, varia dulciaria, et alia similia. *Per se*, excluduntur pisces, et ea quæ originem ex carne ducunt, ut ova et lacticinia. Sed attendendum est ad varias locorum consuetudines. Sic plerumque ova et lacticinia extra Quadragesimam non amplius prohibentur. Imo in ipsa Quadragesima dispensatio generalis semper conceditur, si forte pauci dies excipiantur. — *S. Lig.* permittit in cœnula pisciculos, vel exiguam partem majoris piscis. Invaluit etiam communis consuetudo ut sumatur offa (*soupe, potage*).

### CASUS VIII.

#### DE JEJUNIO 3<sup>o</sup>.

CASTOR non semel tantum, sed iterum et sæpius fauces recreat potu vini, cerevisiæ, aut vini meracissimi, innixus hoc axiomate: *Liquidum non frangit jejunium*. Hinc fit ut jejunii molestiam pene nullam sentiat. Imo toties quoties frustulum panis scypho immitit, *ne potus noceat*. Item tuendæ sanitatis, potius quam recuperandæ gratia, sumit mane præsertim chocolatam, vel theam, aut cafæum, saccharum, etc., cum frustulo panis, quia hæc *per modum medicinæ* sumuntur.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *Potus vini, vel cerevisiæ, vel alterius liquoris, frangat jejunium?*  
 2<sup>o</sup> *An liceat sumere mane poculum cafæi, etc.?*  
 3<sup>o</sup> *Quid de agendi ratione CASTORIS?*

SOLUTIO :

465. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Neg.* Liquidum enim non frangit jejunium, juxta communem sententiam. Per *liquidum* autem intelligitur illud quod præcipue potus rationem habet, et per modum potus ex usu communi sumitur. *S. Lig. n. 1021.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Affirm.*, si modica quantitas sumatur: constat ex generali consuetudine quæ viget, non solum in Italia, ut testatur *S. Lig. n. 1023*, sed in plerisque aliis regionibus. Frustulum panis etiam cum cafæo vel cum parvo cyatho chocolati addi solet, ita ut tamen quantitas totalis cibi illius duas uncias, præcisa aqua, non excedat. Non licet tamen usum introducere ubi non est. *V. Comp. n. 492.*

466. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* CASTOR virtutem temperantiæ violare potest in potu excedendo, non vero legem jejunii ecclesiastici. Peccat vero frustulum panis potui toties quoties superaddendo, et quidem graviter, si id sæpius iterat, quia finis jejunii intrinsecus jam obtineri non posset. Hoc igitur semel tantum in die permitti potest, ut supra dictum est. Vana autem est excusatio tua, o CASTOR! *Potus tibi nocet sine cibo*. Remedium facile tibi suadeo: mi bone, a bibendo abstineas. Plus æquo etiam tibi indulges, CASTOR mi, chocolatam, saccharum et panem per modum medicinæ adeo facile sumendo. Theologi, fateor, concedunt ut tibi liceat sumere electuaria, seu ea quæ *rationem medicinæ* habent, sed in parva quantitate, ita ut stomachus adjuvetur, absque jejunii detrimento; verum a periculo hallucinationis caveto. Sed qua de causa ipsi panem *rationem medicinæ* tribuis? Panis est solidus cibus *sanorum*, non medicina *infirmorum*.

### CASUS IX.

#### DE JEJUNIO 4<sup>o</sup>.

MENANDER non raro diebus jejunii, per duas, tres vel quatuor horas prandio cum aliis assistit; interea vero, urbanitatis, aut etiam necessitatis causa, e mensa surgit, exit, cum aliis per mediam horam conversatur, etc., redit, et denuo ac strenue inceptum prandium prosequitur. Alias parum quid, sed sæpiuscule in die comedit. Die quadam, cum jam e mensa surrexisset, animo non amplius comedendi, immutata sententia, assedit iterum ut comederet, ne, ut aiebat, injurius in coquum esse videretur.

HINC :

- QUÆR. *An MENANDER in casibus expositis jejunium violaverit?*

SOLUTIO :

467. — *R. MENANDER* jejunii legem violat cum refectionem ultra duas horas producit; item cum frequenter in die parum quid comedit. Quando nam vero graviter peccet, ex cibi quantitate colligendum est. Non videtur graviter peccare, ille qui duas, tres, vel quatuor cibi uncias edit. *Billuart* ad materiam gravem requirit quantitatem cœnulæ æquivalentem. Non autem peccat MENANDER refectionem breviter interrumpendo, v. g. per quartam horæ partem, etiam sine ratione. A gravi peccato excusandus est, si

interruptio fiat per horam et etiam amplius; non vero, si interruptio duarum horarum intercedat. Nec videtur peccare, si iterum sedeat ad comedendum postquam e mensa surrexit cum animo non amplius comedendi. *V. Comp. n. 491 et seq.*

## CASUS X.

## CAUSÆ EXCUSANTES A JEJUNIO 1°.

1° MELCHIOR, Confessarius, obligat, *sub gravi*, ad jejunium adolescentibus robustos a 18 annis, et omnes qui annum 21 inceperunt, item senes bene valentes, etiam octogenarios, quia lex Ecclesiæ attingit et ligat omnes homines qui illius absolute capaces sunt; damnat Theologos contra sentientes, præsertim illos qui viros sexagenarios et mulieres quinquagenarias a jejunio eximunt; imo et Parochos vel alios qui semi-infirmos dispensant.

2° RUSTICUS, agricola, labori terræ addictus, se accusat quod non jejunaverit, quamvis firma gaudeat valetudine imo quod jejunium aliquando omiserit, licet una die, vel etiam pluribus continuis diebus, a labore abstinuerit. Propterea graviter a Confessario carpitur.

HINC :

QUÆR. 1° *Quinam ad jejunium teneantur?*

2° *An, vel quales juvenes, vel senes excusentur?*

3° *An a jejunio eximendi sint operarii duris laboribus vacantes, licet optime valeant?*

4° *Qui ad varios casus, seu quid de MELCHIORE Confessario, et de RUSTICO agricola?*

SOLUTIO :

468. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Fideles omnes, a vigesimo primo anno ætatis completo, tenentur ad jejunium servandum statutis diebus, nisi legitime excusentur vel dispensentur. Constat ex variis Catechismis ab Episcopis approbatis, necnon ex universali Ecclesiæ consuetudine.

469. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Juvenes omnes qui ad ætatem 21 annorum non adhuc pervenerunt, a lege jejunii excusantur, licet robusti sint, ut patet ex dictis.

Omnes senes sexagenarii etiam, *probabiliter*, ab eadem lege eximendi sunt, licet viribus pollere videantur. Ratio est, 1° quia sic fert generalis consuetudo, ut testantur Doctores; 2° quia, alias, res foret nimis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit sufficienter robustus, necne, ad onus jejunii sustinendum; 3° quia vires in sexagenario paulatim deficiunt, et in interitum prolabantur. Proinde illorum robor facile illusivum est: *senectus enim, ut fert axioma, ipsa morbus est.* Ita *multi* contra *alios non paucos*, *S. Lig.* dicit utramque sententiam *probabilem*. Plures eximunt mulieres quinquagenarias a jejunio; sed *S. Ligorius* non audet hoc dicere probabile.

470. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* *Affirmo probabiliter.* Ratio est, quia consue-

tudo eximit generatim a jejunio eos omnes qui ejusmodi artes exercent. Leges autem non respiciunt id quod raro et *per accidens* evenit, sed in quod *per se* et *communiter* contingit. Ita *S. Lig. n. 1041.* — *V. Comp. n. 510.*

471. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs.* 1° MELCHIOR, Confessarius, errat, tum urgendo juvenes robustos ad jejunandum ante ætatem 21 annorum, tum obligando ad jejunium septuagenarios vel octogenarios qui robusti videntur; imo et sexagenarios benevalentes, cum hoc controversiæ subjaceat; tum carpendo Theologos contrarium sentientes, et Parochos justa de causa dispensantes: quin potius ipse carpens carpendus est.

2° RUSTICUS nullatenus inquietandus videtur, saltem *probabiliter*, neque ex eo quod omittat jejunium, licet firma gaudeat valetudine, ut patet ex dictis; neque ex eo quod, aliqua die interposita tantum, a labore et simul a jejunio absteineat, juxta communem sententiam; quia ipsi opus est vires reficere, ut sequentes labores sustinere possit, nisi manifeste absque gravi incommodo his diebus jejunare valeat. *S. Lig. n. 1044.* — *V. Comp. n. 510.*

## CASUS XI.

## CAUSÆ EXCUSANTES A JEJUNIO 2°.

1° BERNARDUS, concionator egregius, tempore quadragesimali singulis hebdomadis ter quaterve, non minori corporis defatigatione quam animarum fructu, ad populum dicere solet; gaudet in Domino de laboris sui successu; sed, ut eum facilius prosequi valeat, quotidie sumit alteram refectionem, licet cæteroquin latera firma, naturamque satis robustam a Deo acceperit. Attamen, nonnullis anxietatibus animum ejus pulsantibus, a Theologo inquit an tutus in conscientia esse possit?

2° MORINUS, theologiæ professor, docet omnes sacrarum scientiarum professores, pietatis causa, a jejunio ecclesiastico eximi, etiam diebus quibus scholæ vacant, doctrinamque suam exemplo confirmat. Discipulos autem omnes, non obstante studiorum ratione, ad jejunium rigorostringit.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid BERNARDO respondendum?*

2° *Quid, si in audiendis confessionibus præcipue, vel unice se impenderet?*

3° *An professores scientiarum, vel grammaticæ, excusentur a jejunio, an discipuli?*

SOLUTIO :

472. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* BERNARDO respondebit ipse *S. Ligorius, Hom. ap. tr. 12, n. 34*: « Excusant Doctores a jejunio concionatores qui in « Quadragesima quotidie concionantur, ratione studii et corporis agitatione. Præcipue hoc valet pro missionariis, qui vehementiori agitatione « prædicant. Ita communiter. Cæterum, ex me dico quod sacri conciona-

« tores, qui potius exemplo quam verbis prædicare debent, pro viribus  
« efficere deberent ut jejunium observarent. Nec assentiri possum, gene-  
« raliter loquendo, iis Doctoribus qui etiam excusant eos concionatores  
« qui ter aut quater in hebdomada concionantur. — Attamen plures cum  
Elbel magis BERNARDO indulgent.

473. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Confessarius, *per se*, a jejunio non excusatur; sed, *per accidens* excusari potest, si ad laborem extraordinarium incumbat, ita ut jejunando muneri suo satisfacere non possit. *S. Lig. Hom. ap. tr. 12, n. 34, in fine.*

474. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Magistri scientiarum excusantur, etiamsi per unam horam singulis diebus doceant, si magno studio et labore indigeant ad lectiones præparandas; non vero si lectiones jam prius ordinatas, vel sæpius repetitas exhibeant. Excusandi sunt etiam *probabiliter* magistri grammaticæ, si in die per quinque horas doceant cum magna defatigatione. *Sanchez.* — *Azorius*, etc. Discipuli autem excusandi non sunt a jejunio, generatim loquendo; quia ad studium adeo arduum non tenentur, vel de eo aliquid remittere possunt. Videntur tamen excusandi si secus studium necessarium vel magni momenti tempore Quadragesimæ omittere deberent. *Azor.* — *Castropalao.*

## CASUS XII.

EXCUSATIO A JEJUNIO 3<sup>o</sup>.

STRIGONIUS nollet sane jejunii legem infringere, licet ea valde ipsi onerosa sit. Sed ecce! industriam excogitavit qua tum liberius stomacho indulgeat, tum a peccato immunis evadat. Quomodo faciet? accipe multifariam calliditatem: 1<sup>o</sup> Aliquando suscipit durum laborem sibi prorsus insuetum, et jam propter nimiam defatigationem impotens ad jejunandum efficitur. 2<sup>o</sup> Alias pergit tota die ad venationem valde arduam per montes et saltus et valles, nec proinde jejunare valet. 3<sup>o</sup> Alias piam suscipit peregrinationem pedester, pro qua peragenda 15 vel 20 milliaria percurrere debet, et iterum a jejunio ob impotentiam saltem moralem excusatur.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An labor insuetus susceptus ex causa honesta, vel etiam indifferente, a lege jejunii excuset?*

2<sup>o</sup> *An pia peregrinatio, longa et pedibus suscepta, a jejunio liberet?*

3<sup>o</sup> *An STRIGONIUS a jejunio sit immunis in prædictis casibus?*

SOLUTIO:

475. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Neg. per se loquendo*, seu, nisi adsit aliqua ratio gravis determinans ad laborem suscipiendum, v. g. aliqua necessitas sua vel aliena, occasio lucri extraordinarii, etc... Ratio est, quia, ad se eximendum a gravi obligatione, requiritur ratio proportionate gravis. Ergo non sufficit causa simpliciter honesta, vel indifferens, ut est ratio recreationis, v. g. ad venandum, ludendum pila, ad itinerandum pro invisendis cogna-

tis aut amicis, etc... Si quis, suscepto illo labore, sit adeo defatigatus ut jejunare nequeat, non tenetur quidem ad jejunandum; sed graviter peccavit ponendo causam proximam jejunium impediens, si impedimentum præviderit. Secus vero dicendum de iis qui exercent artes laboriosas cum jejunio insociabiles; quia damnum grave subirent, si a labore consueto abstinere deberent, quoties jejunandum est. *S. Lig. n. 1046.* — *V. Comp. n. 511.*

476. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Neg. per se*, quia ratio pie peregrinandi non est causa necessaria, neque valde gravis, saltem si pia hæc peregrinatio ad aliud tempus remitti possit. Excusat *S. Lig. n. 1048*, peregrinationem ad loca sacra susceptam in magnum Dei honorem, aut communem ædificationem valde notabilem, v. g. si peregrini sint magnæ auctoritatis. Attamen, si peregrinatio jam suscepta fuerit, et interim dies jejunii occurrat, non est obligatio eam intermittendi, ut jejunium servetur. *S. Lig. ibid. et alii communiter.*

477. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* STRIGONIUS in nullo ex dictis casibus excusari potest a jejunii obligatione ob duplicem rationem, scilicet: 1<sup>o</sup> Quia egit in fraudem legis; *fraus autem nemini patrocinari debet.* Etenim apposuit causam directam ad legem jejunii eludendam; porro nunquam licet apponere impedimentum *directe* impediens aliquam obligationem; seu, nunquam licet agere cum *directa intentione* legem omittendi. Nam, dum aliquis subjacet imperio legis, non potest velle eam infringere, cum talis voluntas jam sit ipsius legis violatio. *V. Comp. de Leg. n. 110.* 2<sup>o</sup> Quia, etiamsi STRIGONIUS non poneret causam *directe* impediens jejunium, sed ex alio fine laborem susciperet, attamen non excusaretur ob defectum rationis proportionate gravis, ut jam dictum est.

## CASUS XIII.

ABSTINENTIA A CARNE 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> NICODEMUS, absque scrupulo, frustulum unum vel alterum carnis, diebus prohibitis, manducat; quia, ait, *parum pro nihilo reputatur.* — Alias facile comedit pulmentum, offam, aut lactucas, jure ex carne, aut sagimine, vel larido liquato conditas; nec in hoc graviter peccare putat, quia carnes solæ præcise ab Ecclesia prohibentur. Alias carnes reliquas ex convivio die Jovis instaurato, die sequenti comedit, quia in diem Dominicam asservari nequeunt.

2<sup>o</sup> PERPETUA, paupercula, confitetur se præparasse pro se suisque prolibus cibum sagimine conditum diebus prohibitis, ex eo quod butyrum nec oleum habuerit; item se manducasse frustula carnis in eleemosynam accepta. A Confessario graviter reprehenditur.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quænam sit materia gravis vel levis in hac lege?*

2<sup>o</sup> *Quænam sint carnes prohibitæ?*

3<sup>o</sup> *Quid de NICODEMO? Quid de cauponibus qui die Veneris carnis reliquias comedunt?*